6

COPIA EPISTOLÆ

Ad quemdam Eccleſiaſticum Miſſæ Bruxellas Mechliniâ 4. Aprilis 1679.

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMAN.

REVER. ADM. DOM.

Rumor D. V. de damnatis 65. propoſitionibus aqud vos ferri ſcribit, etiam hic crebeſcit: & ipſius Decreti exemplar Romæ impreſſum, & ad Dom. du Bois trauſmiſſum, vidi, legi, tranſcripſi. Damnatæ ſunt *prout jacent* propoſitiones illæ (ut habet dictum exemplar) *partim ex diverſis, vel libris, vel theſibus, ſeu ſcriptis exceptæ, partim noviter inventæ.* Speraveram animo deciſas fore illas ſuper quibus graves ſunt contentiones v. g. de gratia, Chriſti morte, lib. arbitrio, dilatione abſolutionis in pluribus illis caſibus, quibus deferri volunt tot recentium libellorum, novæque praxis Authores, &c. hanc ſpem fecerat libellus Suæ Majeſt. præſentatus 10. Sept. 1676. per quoſdam S. Theol. cujus hic eſt tenor.

" Repræſentant humillime Decanus & alii Facultatis Theologicæ in Univerſitate Lovan. quod magno ipſorum dolore cum plures in Belgio & graves ſint controverſiæ & contentiones pertinentes ad doctrinam Theologicam non ſine acerbitate &

" vehementiori motu aliquorum : ita ut hinc con-
" tingat veritatem Chriſtianam valde obſcurari,
" turbari , injurioſe tractari. Et quandoquidem
" profeſſio ſua repræſentantes obligat ad curandum,
" ut vera doctrina Chriſtiana doceatur pura & ſoli-
" da ſecundum Scripturarum & Regulas S. Sedis ,
" quam conc. & traditionum SS Patrum & Docto-
" rum Eccleſiæ eo pede atque animo ſimiliter ac ip-
" ſorum majores id obſervaverunt uſque ad tempus
" præſens. Hinc annis præteritis adhibuerint omnes
" conatus poſſibiles ad occurrendum periculo remiſ-
" ſionis quæ nominatim in moralem cum miſerandi
" hujus ſæculi corruptione ſymbolizantem irrepit.
" Sed non obſtante omni conatu , & ſtudio , ex-
" petito adeo rei eventu potiti non ſunt , contra
" vero rectas ipſorum intentiones plures ſiniſtre in-
" terpretatæ ſunt , ad ipſas in populi invidiam &
" odium pertrahendas ſemper propenſi in pravam li-
" centiam magna cum animarum jactura ac popu-
" li perturbatione. Quam ob rem repræſentantes
" ad has nubes diſſipandas , inducendamque mali-
" tiam , una ad ſuo fungendum munere aptiorem
" modum non inveniunt quam ad S. Sedem Apoſto-
" licam per deputatos à ſe recurrere , quemadmo-
" dum in hujuſmodi caſibus , tanti monumenti
" negotio ſemper practicatum fuit , idque ad illam
" accurate informandam de ſuis conatibus jam di-
" ctis de ſuo officio & doctrinis , quas in ſcholis
" ſuis profitentur : atque ad intelligendum ſuper
" illis deciſionem & judicium,cui ſe conforment, &
" ſubmittant omni reverentiâ & obedientiâ ſperan-
" tes autem fore ut id majeſtati ſuæ gratum omnino
" ſit ad ſolitam ejus bonitatem recurrunt ſupplican-
" tes humillime ut repræſentantibus authoritate ſua

ad-

" adeſſe ſeque in ſua mente pia, & ſupradicto
" tanti momenti & conſequentiæ negotio apud
" ſuam Sanctitatem fulſire dignetur, ut promptam
" adeoque optatam conſequi expeditionem quæ ſu-
" per univerſam Monarchiam, & ſupradictos Bel-
" gii Status cæleſtem benedictionem propagatione
" Catholicæ Fidei totius Eccleſiæ gloriam, & pu-
" blicam tranquillitatem attrahere poſſit quod fa-
" ciendo, &c.

Sed nihil, aut fere nihil eorum quæ in dicto libello expoſuerunt tractum eſt. Allegatarum enim in dicto decreto propoſitionum aliquæ fuerunt in Belgio ignotæ hactenus, à quo vel quibus adinventæ latet omnio. Factum forte ad conciliandam invidiam in alios ? aliæ notæ quidem. Tales, quæ ab omnibus quas libellus iſte Suæ Majeſt. præſentatus impetit, improbantur, *prout jacent*. Et contentiones non fuerunt de illarum veritate, ſed an eſſet ex authoribus, quibus aliqui eas adſcribebant, fideliter & integraliter excerptæ: an addita antecedentia, vel conſequentia, ex quibus apparet longe aliud Authorem ſenſiſſe prout importet propoſitio, & prout expreſſa eſt in excerpto: aliquæ ex Authoribus omnino exterius deſumptæ nullam hîc pepererunt contentionem, quia ab omnibus etiam Religioſis, quorum potui commentaria ſcripta & theſes videre, contradictum eſt, & contradicitur illis.

Quædam diſputandi cauſa ſemel iterumve in theſi ſunt poſitæ cæteris etiam Religioſis contrarium ſuſtinentibus & docentibus.

Inſuper ex prædictis propoſitionibus aliquæ fuerunt antea damnatæ ab Alex. VII. quis illas, vel illarum unam poſt ipſius Pontificis Decretum docuerit con-

tranitentibus tanto conatu & ſtudio Doctoribus Facultatis me omnino latet, nec factum credo. Qui porro illas 45. ab Alexand. VII. damnatas docuerint, priuſquam damnarentur, fuſe oſtendit ante annos 12. Profeſſor Doctiſſ. Dom. Nicolaus du Bois in libro quem inſcripſit ad 45. propoſitiones. Et quo evidenter patet, quanta cum calumnia adverſariis adſcribere etiam voluerunt propoſitiones præfatas: quarum plurimas ex profeſſo Minoritæ, Carmelitæ, Societatis Iesu Patres & Sæculares alii in eo libro citati impugnarunt. Denique ex præſentibus 65. à S. D. N. Innocentio XI. proſcriptis multas tradiderunt Facultatis Theologicæ Lovan. Doctores partim in libris, partim in theſibus, defenſis, tam pro gradu in ſcholis (quas Hallas vocant) quam in Collegiis quibus præſederunt, & ſine quorum approbatione & correctione theſes non prodeunt, nec præſides proponunt juxta Facultatis ſuæ ſtatuta ullam admittere, quæ ab aliis iſtius Facultatis Doctoribus concorditer ſit rejecta, unde fit quod expreſſa in tali theſi aſſertio à pluribus eorum vera ſentiatur, vel probablis.

Excerptas aliquas ex dictis theſibus propoſitiones exhibeo, quas cum damnatis D. V. conferre poterit. Libertus Fromondus 10. Sept. anno 1652. hanc dedit: *Confeſſarius contra opinionem propriam etſi probabiliorem ac tutiorem tenetur abſolvere pænitentem ſecundum probabilem ipſius.*

Anno 1653. in Maio dedit hanc: *Tenetur Confeſſarius ſub mortali abſolvere pænitentem, qui minus tutam, & minus probablem ſententiam ſequitur modo vere probabilis ſit, & quamvis Confeſſarius judicet, ex eâque ſequitur notabile damnum proximi.*

Doctor

Doctor Laurent. 3. Aug. 1654. hanc dedit : *Si probabilitas cadat ſupra actionem , relictâ probabiliori , probabile ſequi ſemper potes , ſæpe debes. Item miniſtrans Sacramentum ex opinione probabili relicta probabiliori ac tutiore non peccat contra reverentiam Sacramento debitam.*

Guilielmus Taſſelon ex Ord. D. Aug. pro Laurea Doctorali Lovanii 14. Novemb. 1639. hanc dedit : Non obligiatur ſemper ſequi opinionem probabiliorem , ſed hâc relicta poteſt amplecti minus probabilem & minus tutam etiam in adminiſtratione Sacramentorum.

Doctor Laurent. in Iulio anno 1654. dedit hanc : Nulla eſt opinio ſpeculative probabilis quam in praxi tuto amplecti non poſſes , plurima alia poſſem proferre ſimilia.

Conferat D. V. attente hæc cum propoſitione 1. 2. 3.

Pontanus 17. Aprilis 1652. dedit hanc : *Præceptum affirmativum de diligendo ſuper omnia per ſe obligat in art. mortis, & aliquoties in vitâ , non eſt tamen improbabile extra mortis articulum in vita numquam obligare.*

Alius ejuſdem Facultatis Doctor 1619. in Februario. *Tempus illud præter mortis articulum non facile deſignas.* Similia alia docuerunt Briardus , aliique.

Conferat D. V. hæc cum propoſitione 5. 6. & 7.

Pontanus anno 1652. in Aprili dedit hanc : *Non eſt præceptum per ſe obligans ad amorem internum proximi.* Alius in Ianuario 1630. *De neceſſitate charitatis eſt inimicos diligere ſic ut ſtatim deponamus odium & communia ſigna dilectionis oſtendamus ad ſpecialem actum dilectionis ſufficerit in animi præparatione habere.*

Conferat hæc D. V. cum propoſitione 10. & 11.

Doctor

Doctor van Werm. 1657. 3. Oct. *Datur præceptum poſitivum fidei reſpectu adulti, qui convertitur, pro tunc datur cum circa fidem inſtruitur, in infantibus vero baptizatis, ubi primum ad uſum rationis pervenerit eſt obligatio diſcendi fidei miſteria, & circa illa actum fidei exercendi extra hos caſus non putamus præceptum fidei per ſe, & directe obligare.*

Conferat D. V. cum propoſitione 17.

Anno 1632. in Aug. tradita fuit hæc: *Iurare amphibologice una non ſecundum mentem recipientis juramentum ex juſta cauſa juxta ſenſum verum, & à jurante intentum, nec peccatum eſt neque illicitum. Illicitum eſt uti reſtrictione mentali in juramento, ſecus ubi eſt juſta cauſa.*

Gerard. van Werm. S. Theol. D. Lovan. Novemb. 1640. aſſertionem hanc dedit theſi 3. *Iuſtâ ex cauſa prudenti, in juramentis amphibologiâ uti licitum eſt. Iurans equidem per dolum & in injuſtitia accipiens verba in alio ſenſu quam præ ſe ferunt, modo illum admittunt, vi juramenti non obligatur, niſi juxta ſenſum à ſe intentum.*

Item alius ejuſdem Facultatis Doctor menſe Maio 1642. theſi 4. *Qui prudenti amphibologia in jurando utitur tenetur ſolum juxta ſuum ſenſum, & tali amphibologia ſolum licet uti quando juſta ſubeſt cauſa.*

Item alius 18. Maio 1640. theſi 3. *Si cum jurares uſus ſis prudenti aliquâ æquivocatione aut amphibologia, vi juramenti teneris tantum juxta ſenſum tuum non aliorum.*

Gerard. van Werm S. Theol. D. Lovan 27. Novemb. 1640. theſi 3. *Sine intentione jurandi ſimulate jurans, licet graviter peccet, per ſe tamen nullo juramenti vinculo tenetur.*

Item

Item alius ejuſdem Facultatis D. Lovan. menſe Maio 1640. theſi 3. *Qui ficto animo juravit, vi ſolius juramenti non tenetur, ſed ſolum quatenus alicui tertio per tale juramentum damnum inferretur, aut ſcandalum ex tali juramento naſceretur.*

Item alius S. Theol. D. Lovan. in Aug. 1632. theſi 2. *Exterius jurans animo non jurandi non tenetur vi juramenti.*

Conferat D. V. hæc cum propoſitione 25. 26. & 27.

Doctor Laurent. in Ian. anno 1657. dedit hanc: *Vir generoſus & nobilis cujus virtus & fortitudo in armorum contractione reputatur conſiſtere, aggreſſori ipſum ignominioſe pugnis & fuſtibus invadenti, etiam cùm percutientis vitæ periculo probabiliter reſiſtere poteſt, quamvis fugâ vitæ ſuæ poſſit conſulere.*

D. van Werm anno 1654. 26. Martii: *Vitam proximi, quam iujuſtè quis invadit, ſi aliter nequeas, licite etiam cum invaſoris occiſione tueberis. Idem dicendo de pudicitia, honore, & fortunis proximi quando ſunt magni momenti.*

Alius 1648. in Iulio: *Invaſor cenſetur etiam is, qui abſolutè decreverit alium occidere, ſive per ſe, ſive per alium. Imo etiam is qui per calumniam apud judicem efficaciter machinatur mortem alterius, in ejus tamen occiſione adhibenda eſt cautio. Videlicet ut certo conſtet non aliud ſupereſſe remedium.* Similia tradideruut Sinnich: Pontanus: Rampen: Mercerus, aliique.

Conferat iterum D. V. cum propoſitione 30.

D. van Werim 1653. 17. Iulii: *Probabile eſt non tantum in neceſsitate, quæ abſolute extrema eſt, ſed etiam in valde gravi licitum eſſe pauperi auferre illud, quo indiget, ab homine divite, qui per hujuſmodi ablationem*

non

non incidit in aliquam neceſſitatem, aut notabile ſtatus detrimentum.

D. Sinnich anno 1648. 3. Feb. *Probabile non ſolum in extrema, ſed etiam in gravi neceſſitate morbi, famis, nuditatis cenſemus poſſe te clanculo ſurripere ab opulentis, ſi aliter grave illud malum evadere nequeas.* Similia tradita ſunt à Doctoribus aliis dictæ Facultatis anno 1638. in Aug. item in Decembri & poſtea.

D. Stockmans 1648. 4. Septemb. dedit hanc: *Hoc præceptum (non furtum facies) non prævaricatur ille, qui in gravi neceſſitate conſtitutus tantum accipit ab homine divite, quantum ſibi ſufficit neceſſarium ad neceſſitatem ſublevandam, ſi videlicet id petenti negetur.*

Conferat hæc D. V. cum propoſitione 36.

D. Sinnich: Anno 1658. 11. Jan. dedit hanc: *Uſurarium eſt ex juſtitia obligare mutuarium ut officium ſæculare, aut beneficium Eccleſiaſticum ſibi vel ſuis conferat, ſecus dicendum eſt, ſi ſolum requirat ut prædicta ſibi ex benevolentia præſtentur.*

Malderus tract. 5. de juſtitia c. 3. dub. 6. *Si mutues eâ lege ut ſtatim ſibi conferat mutuarius beneficium Eccleſiaſticum, etiamſi ſi beneficii emolumenta ſint minora oneribus, eris ſymoniacus, non tam uſurarius ...... ſi tamen te mutuum dare dicas, non ut pretium beneficii Eccleſiaſtici, ſed ut hâc ratione provoces amicitiam colatoris, aut gratiam præſtes, quam non præſtares, niſi alter ſtatim gratificetur conferendo beneficium probabile eſt nec uſuram, nec ſymoniam fore.*

D. V. Werm 1651. in Decemb. hanc dedit: *In labem illius (uſuræ) incidit mutuator, qui mutuarium lege juſtitiæ obligat, ut ei pœnam debitam famæ, aut honoris reſtitutionem remittat, ut neceſſario in ejus officina emat, aut ei beneficium conferat, non vero ſi eum obliget ſolum obligatione amicitiæ.*

Alius

Alius Lovan. 1640. in Aug. *Mutuare poteris eâ lege ut mutuarius tibi remutuet, ſi ipſi illud non magis incommodet, quam tibi, ut pœnæ debitæ, famæ, honoris reſtitutionem condonet, officium vel beneficium conferat, tuam officinam frequentet, aut ſimile quid præſtet, ſalvo quod ſolum lege gratitudinis adſtringas.*

Pontanus S. Theol. D. 19. Iulij 1649. *Illicite quoque mutuas, ſi obligas pacto juſtitiæ, juſtam vindictam vel ſatisfactionem alter tibi condonet, ſecus pacto amicitiæ.* Plurimæ ſimiles ſunt defenſæ publice in ſcholis Lovan. quas æquè facilè allegare poſſumus, ac præcedentes anno 1631. 15. April. Sept. in Maio 1639. 27. Sept. 1631. 18. Sept. 1642. &c.

Conferat hæc D. V. cum propoſitionibus 42. 45. 46.

Pontanus D. Lovan. anno 1644. 17. Ian. dedit hanc: *Omnes Chriſti Fideles, qui ad annos diſcretionis pervenerint, obligantur Eccleſiaſtico præcepto juxta cap. omnis utriuſque ſexus, ad minus ſemel in anno hoc Sacramentum ſumere, idque in Paſchatæ. Cui præcepto etiam ſatisfacit, qui indigne cum ſacrilegio mortali communicat.* Item 1. Febr. 1649. dedit hanc: *Præter hæc duo ſola Euchariſtia jure divino præcepta enim ratione ſui: Euchariſtia & Pœnitentia inſuper Eccleſiaſtico, qui ſatisfacit per communionem ſacrilegam.*

Van Werm S. T. D. Lovan. in Auguſto an. 1647. dedit hanc: *Huic præcepto Eccleſiaſtico etiam indignâ ſumptione ſatisfieri poteſt.* Item dedit eamdem 5. Octob. 1647. Theſi 3. 10. Octob. 1643. 18. Sept. 1641. 18. Febr. 1640.

Dic 11. Aug. 1651. Alius Lovan. D. dedit hanc: *Eccleſiæ præcepto per ſacrilegam communionem poteſt ſatisfieri.* Item 18. Maij 1634. hanc: *Impletur probabiliter hoc præceptum per communionem indignam.*

Andræas Laurent. S. Th. D. 11. Aug. 1651. dedit hanc : *Cui Eccleſiæ præcepto, per ſacrilegam communionem poteſt ſatisfieri.* Item 14. Nov. 1652.

Paludanus ex Ord. S. Aug. S. Th. Doctor Lovan. die 26. Maij 1648. dedit hanc : *Satisfit tamen per indignam ſuſceptionem Eccleſiæ.* Idem Doctor dedit eamdem 27. Aug. 1648.

Guilielmus Taſſelon ex Ord. S. Aug. pro Laureâ Doctorali Lovan. 7. Ian. 1640. *ſatisſit præcepto annuæ communionis per communionem ſacrilegam.*

Guilielmus Mercerus S.Th. Doct. Lovan. 19.Iulij 1634. dedit hanc : *communicare teneris præcepto Eccleſiaſtico ſemel in anno in Paſchate , quod impletur per indignam communionem.*

Conferat hæc D.V. cum propoſitione 45.

D. Van Werm 1657. in Octob. *Datur quoq; præceptum poſitivum fidei, cujus obligatio reſpectu adulti , qui convertitur pro tunc datur , cum circa fidem inſtruitur , in infantibus vero baptizatis ubi primo ad rationis uſum pervenerint , eſt obligatio diſcendi myſteria Fidei , & circa illa actum Fidei exercendi. Extra hos caſus non damus præceptum Fidei per ſe & directè obligans.*

Conferat hæc D. V. cum propoſitione ultima.

Propoſitiones 34.35.40. 48. 49. à nullo in Belgio traditas vel propugnatas, ne dum contentiosè oſtendent , niſi fortè à Doctore ejuſdem Facultatis *Caramuele* ex quo videntur excerptæ , præſertim 40. 41. 48. 49.

Porro nullas puto in Belgio fore contentionis, & malitiam , quam ſe deſiderare ſignificant , brevi inducendam , ſi paucas , rationabileſque admittant conditiones:primo obſerventur, & obſervari curentur tot Apoſtolicę conſtitutiones & decreta in materiâ Fidei , & morum , v. g. in materia de gratia decretum

cretum, quod juſſu Sixti V. fuit Lovan. publicum anno 1588. in Iulio decreta adverſus Ianſenium, & cæteros pro ejus defenſione libellos edita. Item adverſus Rituale d'Alet, & Gallicani verſionem novi Teſtamenti, cujus author Calvinum ſecutus contra Romanam correctionem plurimas verbi Dei ſententias ad mores, fidemque pertinentes corrupit, quod fusè à D. Profeſſore du Bois oſtenſum. 2. Non affingant aliis dogmata, & propoſitiones varias prout hactenus factum eſt in plurimis libellis, ex quibus deſumptę ſunt varię illarum, quas modo præſentarunt S. D. N. 3. Non laxent Eccleſiaſticam diſciplinam per libellos ejuſmodi famoſos, in quibus dum falſe referunt plures ſententias laxiores, quas nemo docet, facilè occaſionem dabunt ut iſtas in praxim deducant ii quibus perſuadebitur illas à tot adverſarijs, quos impetunt, doceri. 4. Vt ſumptuosè legationes impenſis inutilibus deinceps parcant, dignentur communicare cæteras propoſitiones, quas S. Sedi exhibuerunt, vel exhibere volent: ut illæ ad tribunal deferantur de quibus eſt revera contentio. 5. Cum ex proſcriptis propoſitionibus plures ſint, quas non oſtendent umquam fideliter ex authoribus, quos impetunt, excerptas, multo minus traditas in ſenſu, quem habent *prout jacent* deſinant plebiculæ horum, vel iſtorum doctrinam eſſe proſcriptam, tum contentiones non ſuſcitabant. 6. Communionem & per tot ſæcula in Eccleſia repertam praxim circa adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ non impetant, & damnent, ſub prętexu veteris uſus Eccleſiæ, quem minime probarunt, & cui repugnat Rom. Catechiſmus p. 1. c. 5. aut certè quod de publicis, graviſſimiſque facinoribus fuit tantum ſtatutum quoad reconſiliationem non trahant ad

quæ-

Digitized by Google

quæcumque peccata in ſolo foro interno cognita. Sed in re tanti momenti petant primo Sedis Apoſtolicæ judicium, antequam alias laxitatis accuſent. 7. In materiis, ſuper quibus S. Sedes necdum tulit ſententiam deſinant alijs pelagianiſmi, ſemi-pelagianiſmi aliiſque inurere notas à dilectione proximi alienas. Aliquot alias regulas & ſalutaria monita conceperam, ſed quia ad alia vocor ſuperſedeo, & ſubſcribor,

Rev. Adm. D. V.

HVMILL. FAMVLVS.

Mechliniæ
an. 1679.
4. *Aprilis.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Dum has claudo, alias mihi acceptas Roma oſtendit litteras, quibus ſignificatur, quod in libello ſuę Sanctitati præſentato ſimiliter dixerint propoſitiones, quas exhibebant, de facto doceri. Simulque intimatur Officium Immaculatæ Conceptionis B. V. M. juſſu Sanctiſſ. emendatum & de novo impreſſum uti & decretum emanaſſe; quo imponitur omnibus Eccleſiaſticis ut populum ad dignam eamque frequentem tam Sacramenti Pœnitentiæ quam Euchariſtiæ ſuſceptionem adhortentur, quæ omnia, dum authentica recepero D. V. Communicabo Vale.